KEW

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XCIV.

PITTOSPOREÆ.

Billardiera floribunda.

F. v. M. in Southern Science Record, ii. 1 (1882); Marianthus floribundus, Putterl. in Endl. Nov. Stirp. Decad. 61; Walpers, Repert. Bot. Syst. i. 256; Benth. Flor. Austr. i. 120.

Glaberrima, foliis magnis lanceolato-ovatis vel passim angusto-lanceolatis breviter petiolatis planis integerrimis, floribus majusculis cymoso-corymbosis vel interdum fere umbellatis, pedicellis plerisque florem æquantibus vel eodem ad dimidium usque brevioribus, sepalis lineari-lanceolatis sensim acutatis corollam pæne semiæquantibus vel eadem triplo brevioribus, petalis albis mox liberis, staminibus longitudine vix ultra sepala extensis, filamentis haud dilatatis, antheris rectis, *stylo perbrevi crassiusculo*, stigmate majusculo, germine sessili, baccis ellipsoideo-cylindraceis extus fulvis intus pulpa repletis, seminibus numerosis ovali-rotundis valde compressis haud angulatis extus fuscis plerisque horizontaliter sitis, testa parum rugulosa.

Prope King George's Sound (Huegel), Porongerup (F. v. M.), Tone-River (Clarke), Lake Muir (Muir), Warren-River (Carey), Blackwood-River (McHard), Geographe-Bay (Bunbury).

Præter fructus differt a Mariantho candido glabritie perfecta, foliis latioribus, pedunculis plerumque brevioribus, sepalis majoribus et pro corolla longioribus, petalis acutioribus et sæpe extensioribus, stylo crassiusculo perbrevi.

Billardiera coriacea solum calcareum quærit; tali modo occurrit ad fontes fluminis Blackwood-River sive Arthur-River quam maxime orientales (Muir), ad Gale's Brook et Phillip's River (Maxwell), prope Cape Arid (Carey). Folia eis Sollyæ heterophyllæ var. latifoliæ haud absimilia, sed semper integerrima. Cyma interdum fasciculato-pauciflora. Bracteæ lineari-setaceæ. Filamenta latiuscule linearia, apicem versus sensim angustata. Antheræ basi biloba affixæ, sursum attenuatæ. Stylus perbrevis. Germen tenui-lanuginosum. Bacca glabrata.

Billardiera Lehmanniana gaudet petalis inferne pulchre erubescentibus vel violascentibus. Antheræ vix semilineam longæ sunt. Baccas maturas vidi omnino rotundas vel ovato-rotundas, leniter vel modice compressas, circiter 3‴ metientes, semina continentes 7–13 fere lineam longa, nigro-fusca, ovato-rotunda nisi passim late-ovata, paulo rugulosa, turgidula. G. Maxwell hancce speciem ad flumen Phillips-River et Th. Muir eandem ad fluvium Tone-River obtinuerunt. Fortasse etiam Drummond et Preiss austrum versus sua exemplaria legebant.

Billardiera variifolia vergit usque ad Warren-River (Walcott), Blackwood-River (McHard), Preston-River (F. v. M.). Indumentum inflorescentiæ patulum. Petala cœrulea v. cyanea, non punctata. Filamenta antheris rectis aliquoties longiora. Baccæ flavescentes, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$″ longæ, sæpe ad summitatem acutatæ, sed in varietate foliis minoribus et densius indutis insigni obtusatæ. Semina fere globosa, nec compressa, nec conspicue angulata, extus rufescenti-fusca, parum rugulata, papillulari-scabriuscula. Marianthus laxiflorus varietatem pedunculigeram B. variifoliæ adeo æmulatur, ut perfacile ejus varietas sumeretur, quamquam insigniter restat pedunculis evolutis, sepalis brevioribus et germine glabrescente.

Billardiera elegans extendit saltem usque ad flumina Moore-River (J. Forrest) et Harvey-River atque ad declivitates occidentales montium Darling's Ranges (F. v. M.). Drumm. 32 et 103. Hæc species adspectu B. variifoliæ simillima. Folia subtus conspicue pallidiora, plerumque in apicem sensim angustata, interdum perangusta, passim valde abbreviata. Indumentum inflorescentiæ appressum. Flores sæpe majusculi. Filamenta antheris primum cyaneis mox gyroso-revolutis fere duplo longiora. Baccæ $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ longæ, ad summitatem obtusatæ. Semina numerosa, fusca, horizontaliter sita, ovato-rotunda, valde compressa, papillulari-scabriuscula, pæne sesquilineam metientia.

Marianthus procumbens in regiones alpinas saltem usque ad 5000′ adscendit. Eandem habeo speciem e Nova Anglia (C. Stuart), a fluvio Gwydir (Leichhardt), a Wallerawang (Woolls), Cape Howe (F. v. M.), Flinders-Island (Milligan), Maryborough (Maplestone), Grampians (Sullivan).

Marianthus microphyllus e vicinia sinus Regii Georgii venit, ubi autem rarescit ; planta, quantum notuit, erecta.

Marianthus parviflorus includit M. granulatum. Pedicelli capillares, plerique valde patentes, densius parciusve pubescentes. Antheræ ætate recurvatæ. Semina in fructibus ipsius speciminis Drummondiani numeravi usque 15, in aliis exemplaribus usque 19.

Marianthus bignoniaceus in altitudine frigescente 5000′ tantum ad montem Guilielmi inveniendus est. Folia usque 3″ longa. Nomen specificum jam anno 1848 imposui.

Marianthus Drummondianus ad flumen Blackwood-River (Hester) et montes Stirling's Range (F. v. M.) extendit; jam altitudine digitali interdum floreseit; pedicelli quoque occurrunt terminales et fructus passim rotundi. Bot. Magaz. 5521.

Marianthus cæruleo-punctatus exstat in collectione Drummondi sub numero 86; ipse hancce plantam legi ad cataractas fluvii Serpentine-River. Cymæ longe pedunculatæ, interdum umbelliformes et flores usque 40 gerentes. Antheræ primum cyaneæ. Stylus capillaris, circiter 2‴ longus. Germen sessile. Fructus hujus plantæ et sequentis comparandi. Hook. Bot. Magaz. 3893; Paxt. Magaz. viii. 247. Hujus speciei statum sistit M. tenuis, pedunculis abbreviatis crebriusque axillaribus; ejus vero fructum non vidi.

Marianthus candidus cum antecente me repertus ad cataractas fluvii Serpentine-River; noram hunc quoque a Geographe-Bay (Bussell) et e collectionibus Drummondi sub 33, 82 et 177. Huc forsan pertinet Pronaya pedunculosa, Turcz. in Bullet. Mosc. xxxvi. 560 (1863).

Marianthus erubescens extendit ad Stirling's Range, Cape Le Grand et Cape Arid (Carey). Folia interdum lanceolato-ovata. Petala scarlatino-aurantiaca. Germen perbreviter stipitatum. Stylus capillaris, 7–9‴ longus.

Marianthus ringens ornatur petalis in colorem aurantiacum vergentibus quotannis per menses fere sex. Stylus setaceus, dimidio brevior quam is speciei præcedentis. Hook. Bot. Mag. 5233.

Marianthus pictus versatur usque ad Bremer-River et Termination-Rock (Maxwell), Esperance-Bay (H. St. Carey), originem orientalem fluminis cygnorum (Julia Wells) et Shark-Bay (F. v. M.). Pericarpium crassiusculum. Semina matura fere omnia plana, nisi summa atque infima, quæ plano-convexa aut rarius rite hemisphærica, quo modo discrimina inter M. pictum et M. lineatum sumpta evanescunt. Dr. Putterlick fortasse semina immatura descripsit.

Oncosporum cuneatum, Turcz. in Bullet. Mosc. xxxvi. 561 (1863) e notis traditis non tuto recognosco.

Sollya heterophylla mihi nunc nota a Cape Leewin (Bussell), Geographe-Bay, Mount Burroburrup 2000′ altitudine, Mount Blackwell (F. v. M.), a rivulis ad originem occidentalem fluvii Swan-River (Julia Wells), Cape Arid et Esperance-Bay (Maxwell) et extremitate occidentali sinus Great Bight. Drumm. 35 et 83.

Sollya parviflora occurrit in collectione Drummondi sub 50, varietate quidem densius vestita, cujus tantummodo flores juveniles vidi.

Cheiranthera parviflora me ipso legebatur ad fluvios Preston- et Blackwood-River, secus silvarum rivulos. Planta pluripedalis, volubilis. Capsula circiter pollicem longa, prope medium vix 2‴

lata, in utramque extremitatem acutata. Semina 16 vel pauciora, lenticulari-rotunda, nitenti-nigra, vix $\frac{2}{3}'''$ metientia, arillo brevi crassiusculo fuscescente prædita.

Cheiranthera linearis crescit ad flumen Severn (Hartmann), Condamine-River (Leichhardt), Molong et Mudgee (Woolls), Taracuta (Chamberlain), Coliban (Taylor), Daylesford (Wallace), Maryborough (Halley), Venus- et Streaky-Bay (Babbage). C. volubilem specifice non separandam æstimo.

Cheiranthera filifolia altitudinem bipedalem attinet; hanc nunc habeo a Cape Arid, Young-, Walker- et Tone-River (Maxwell), et e regione inter Ularing et Mount Jackson (Young).

Citriobatus multiflorus extendit usque ad Mount Dromedary (Reader) et in Novam Angliam (Stuart).

Citriobatus pauciflorus ostendit corollam pallide flavo-viridulam, leniter erubescentem. Flores fragrant. Novi loci hujus speciei sunt: New England (Stuart), Expedition-Range (Thozet), Herbert's River, Westwood- et Neercool-Creek (Bowman), Gilbert-River (Daintree), Orion-Downs et Lynd-River (Armit), Glenelg-River (Martin).

Bursaria spinosa in silvis calidis madidisque pone Rockingham's Bay folia usque 3″ longa et 1″ lata, supra saturate viridia producit.

Hymenosporum flavum effertur ad altitudinem 30′. Adscendit in montes Novæ Angliæ et vergit in regiones calidas saltem usque Rockingham's Bay.

Pittosporum rhombifolium extendit usque ad flumen Severn (Hartmann) et Mackenzie's River (Thozet).

Pittosporum melonospermum habeo a portu Darwinii (Holtze). Sepala fere ovata. Germen albo-tomentosum.

Pittosporum undulatum ipse legi ad flumen Arthur's River ditionis Tasmaniæ, ubi alte arboreum, ceteroquin autem rarum.

Pittosporum revolutum obtinui e Nova Anglia atque e regionibus septentrionalibus terræ reginalis.

Pittosporum ferrugineum collegerunt Thozet ad McKenzie's River et O'Shanesy ad Comet-River; in sua regione satis frequens est et uberrime floret.

Pittosporum bicolor misit a monte Dromedario Maria Bate.

Zygophylleæ.

Tribulus astrocarpus.

(Sect. Tribulopsis.)

Annuus, prostratus, parce appresso-pilosulus, *foliis omnibus alternis*, foliolis paria 3–6 formantibus parvis oblique ovatis, pedunculis folio adstante plerumque bis terve brevioribus, petalis obtusiusculis imberbibus sepala mox decidua triente superantibus,

staminibus decem omnibus fertilibus antheris renato- vel cordato-rotundis, stylo stigmati fere æquilongo, *fructibus quinqueradiato-stellaribus exalatis præter verticis centrum valde depressis subtus prope basim quinque-tuberculatis,* carpidiorum spinis duabus crasso-subulatis per paria cum eis proximorum connatis parte seminigera bilocellata duplo longioribus, carpidiis aliunde inermibus.

Prope flumen Gascoyne-River ; J. Forrest.

Herba pauci- vel pluri-caulis, digitalis vel spithamæa. Foliola 2–4‴ longa. Sepala lato-lanceolata. Petala flava, circiter 3‴ longa. Germen albo-sericeum. Fructus altitudine sua centrali duplo latiores, in carpidia 5 tarde secedentes. Semina matura ignota.

Species ob spinas carpidiorum geminate coalitas ab congeneribus jam diversissima, T. minuto autem parvitate staturæ accedens.

T. terrestris ad Nickol-Bay extendit. Forskael nomen T. pentandri plantæ Arabicæ et Ægyptiacæ, ad nos forsan pervenienti, diu imponebat.

Tremandreæ.

Tetratheca aphylla.

Foliis destituta, ramis crassis teretibus scabriusculis, pedicellis calyce paulo longioribus quocum brevissime glanduloso-puberulis, floribus pentameris, sepalis lanceolatis, petalis calycem fere triplo superantibus, filamentis crassiusculis anthera aliquoties brevioribus, *tubulo antherarum atropurpureo loculis vix triente breviore,* germinis parciter glanduloso-puberuli loculis unigemmulatis.

In Australia occidentali ; J. Drummond. Ramulorum tantum fragmina vidi, quorum crassities fere sesquilinearis. Planta specifice differt a T. efoliata ramis crassioribus, nec tortilibus, nec inferne velutinis, antheris haud puberulo-scabridis, tubulo earumdem neque pallido neque loculis fere æquilongo, ovulis solitariis, tandem fortasse fructuum characteribus. Inventor nec crescendi locum notavit, nec specimen numeravit.

Tetratheca virgata includit T. nudam var. sparteam ob antheras tubulo elongato discolore terminatas, quamquam germen glanduloso-pilosulum. Planta interdum gracillima et quasi volubilis. Ad flumen cynorum hæc species forsan non extendit ; habeo autem eam a Puttingup e collectione Maxwellii. Varietas setigera occurrit sub numero 99 inter plantas Drummondi.

Tetratheca nuda aliam distributionem regionalem efficit, quam congener antecedens. Drumm. 106.

Tetratheca affinis nascitur ad Lake Muir (F. v. M.), Tone-River et Lake Leven (Maxwell), Gardiner-River (Walcott). Imitatio hujus stirpis valde eximia quoad habitum quarundam specierum e

generibus Pachynema, Acacia, Brachysema, Bossiæa, Sphærolobium, Jacksonia, Daviesia, Trachymene et Dampiera in vegetatione Australiana. Planta florigera digitum ad ulnam alta. Rami 1–4‴ lati. Folia in ima parte caulis occurrunt lanceolata, 3–4‴ longa, plana, paulo denticulata. Sepala appressa, cum petalis passim quatuor. Pedicelli fructiferi ad apicem valde incrassati. Capsula in genere maxima.

Tetratheca juncea quam culta jam notabatur a W. T. Aiton (Hort. Kew, second edit. ii., 347), Petro Good introducta anno 1803. Siebero longe prius detector hujus plantæ fuit medicus Joannes White anno 1793, ut Smith jam testabatur. Meritus White præterea delineationes pictas plurium aliarum stirpium jam ante annum 1793 fecit et ad Th. Wilson misit, quas icones Smith ope Sowerby edidit. Hæ icones sunt: Billardiera scandens, Ceratopetalum gummiferum, Banksia spinulosa, Scævola hispida, Platylobium formosum, Telopea speciosissima, Lomatia silaifolia, Grevillea sericea, G. buxifolia, Pimelea linifolia, Pultenæa stipularis, Eucalyptus robusta, Styphelia tubiflora, Acacia myrtifolia et A. hispidula. Aliquot autem harum collectores forsan jam anno 1770 fuerunt Banks et Solander.

Tetratheca confertifolia invenitur inter plantas Drummondi sub 100; hæc species extendit saltem usque ad flumen Irwin's River (Sewell). Pedicelli elongati. Sepala pilosula. Petala interdum alba.

Tetratheca ericifolia, quod formam typicam attinet, usque ad fluvios Murrumbidgee-, Hume- et Lachlan-River extendit eorum originem versus, nec non crescit ad flumina Clarence-River (Wilcox) et Richmond-River (Fawcett). Capsula rhombeo-orbiculata, in stylum breviter acuminata. T. pilosa alpes adscendit; tali modo hancce stirpem in cacumine montis Fieldii vidi; hæc forma intra coloniam Victoriæ frequentior est, quam ulla alia, dum in coloniæ South Australia territorio unica est varietas; eandem habeo a Genoa (Reader), a Mount Dromedary (Maria Bate), e Kangaroo-Island (Heuzenroeder); in regione glaciali circiter 6000′ altitudine depresse occurrit atque statu parvifolio et parvifloro. Capsula cuneato-obovata, usque 4‴ longa. Maout et Decaisne Syst. of Bot. ed. J. Hook. 251 c. xylogr. Otto, Garten-Zeitung 1855, t. 5. Forma foliis verticillatis donata, quæ ad flumen Tamar, portum Phillipi et promontorium Wilsoni obvenit, transitum mediat ad formam genuinam T. ericifoliæ. Omnes varietates speciei sensu ampliore acceptæ petala alba producunt, ac forsan omnes congeneres.—T. thymifolia prope Berrimam montes saltem usque ad altitudinem 4000′ adscendit (Ludovica Calvert); nascitur quoque ad Biroam (Leichhardt), Tumut (Ligar), Mallacotta-Inlet, Mount Imlay et Macallister-River (F. v. M.), Macleay-River (Fitzgerald), Clarence-River (Wilcox), Richmond-River (Hodgkinson), New

England (Stuart); territorium coloniæ Victoriæ non intrat nisi partem maxime orientalem. Folia occurrunt lato-ovata et in verticillo usque septem. Capsulā sæpe quam lata ac longa.—T. glandulosa legebatur ad Macallister-River, Mount Useful, altitudine usque 4000′ (F. v. M.), Grampians et Serra-Range (D. Sullivan). Pili nonnunquam plerique glandulis carent; tunc differentiæ, quibus a T. pilosa distinguatur, vix ullæ. Altitudine usque quadripedali superbit. Folia interdum rotundata et edentula. Turpin, Dictionnaire, t. 175. Cl. Schuchhardt (Syn. Tremandr. p. 25 et 34) embryonem notavit cylindricum. Capsula cuneato- vel orbiculato-ovata.—T. subaphylla passim conspicue foliata, passim omnino aphylla est; hanc formam valde aberrantem reperi loco altero, nempe ad originem fluminis Tangil altitudine 3–4000′. Pedicelli 1–3‴ longi. Capsula variat cordato-rotunda, haud acuminata, tantum $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, et iterum cuneato-obovata usque 3‴ longitudine metiens. Omnes varietates fere per totum annum florent in locis extra-alpinis.

Tetratheca ciliata in suo tractu succedanea est T. thymifoliæ; regio hujus vergit usque Edwards-River (H. E. Sullivan), Hume-River (Jephcott), Lower Loddon (Holdsworth), Ararat (Green), Barkly-Ranges altitudine 4000′ usque et Rivoli-Bay (F. v. M.). Capsula obcordato- vel cuneato-rotunda. Monstrositatem reperit C. Walter duplice petalorum numero, sed staminibus tunc non in petala mutatis. De litteratura totius generis usque 1853 vide Pfeifferi Nomenclatorem Botanicum ii. 1380. De iconibus conferantur Pritzeli Icon. Bot. Index anno 1855 et pars altera 1866.

Tetratheca hirsuta jam illustrabatur a Payer in Annal des Sc. Nat. troisième sér. xv. 351–354, pl. 20, fig. 1–20 (1851). Formam typicam nunc habeo a Geographe-Bay (Pries), Blackwood-River (Hester), Darling's Range (F. v. M.) et e collectione Drummondi 105 et 107. Folia subtus pubescentia, passim elliptica et planiuscula. Sepala acuta, mox reflexa. Petala interdum alba. Antheræ cum rostro longo et pertenui scabridæ. Capsula orbiculato-obcordata, 3–4‴ metiens.—T. viminea ostendit folia interdum subtus parce pubescentia; hanc legi in Darling's Range, ad Harvey- et Preston-River. Latitudo petalorum variabilis.—T. hispidissima crescit ad Mount Lindsay (Muir), ad Mount Burrabunup (F. v. M.). Folia nonnunquam rotunda, paulo verticillata, paucidentata et subtus velutinella. Tubulus antherarum atropurpureus vel pallidus. Stylus interdum flexuosus. Semina parce puberula. T. hirsuta easdem formas præter glandulosam reiterat, quas in Australia orientali T. ericifolia producit; nam T. viminea simulat T. ericifoliam (typicam) et T. thymifoliam, dum T. hirsuta (typica) æmulatur T. pilosam, atque iterum T. hispidissima quasimodo imitatur T. glandulosam.—T. hirsuta est species in genere unica præter T. affinem et T. efoliatam antheris rite scabris.

Tetratheca setigera includit T. pubescentem et T. tenuirameam. Nascitur quoque in montibus Stirling's Range usque ad altitudinem 3000′ (F. v. M.). Caules ½–3′ alti. Folia passim rotundo-ovata, rarius 1″ longa et ½″ lata. Sepala parum acuta, mox recurvata, cum petalis interdum 4. Apex pedicellorum conspicue incrassatus. Antheræ læves, aut subito et tenuius, aut sensim et crassius sicut brevius rostratæ. Capsula cuneato-obovata, apiculata. Omnes varietates T. setigeræ a formis collateralibus T. hirsutæ præcipue segregantur foliis vix unquam verticillatis, pedicellis sæpe brevioribus, sepalis minus acutatis, antheris semper lævibus et sæpe crassius breviusque rostratis, capsula conspicue longiore quam lata.

Tetratheca filiformis nunc a fluminibus Warren-, Gordon- et Frankland-River nota, ubi usque 3′ alta. Antheræ ad junctionem tubuli et loculorum antrorsum curvatæ, quod etiam in paucis aliis congeneribus passim accidit. Fructus adhuc comparandus. Ceterum hæc Tetratheca ob antheras læves T. setigeræ proxima.

Tetratheca pilifera antheris omnino flavis præ ceteris congeneribus insignis manet, æque ac tenuitate filamentorum, sed antheræ aliarum in varietate albiflora passim flavescunt. Folia sæpe in formam deltoideo-rhombeam vergentia. Capsula rotunda, ad basim et summitatem leniter retusa vel passim ovato-orbiculata, circiter 2‴ metiens, fere glabra.

Platytheca galioides forsan ad vegetationem maxime australem Novæ Hollandiæ occidentalis solummodo pertinet, nam Preiss eam a fluvii Preston-River regione attulit; ipse vidi speciem prope fluvios Blackwood- et Gordon-River et frequentius circum montes Stirling's Ranges. G. Maxwell eam a Mount Bland et Cape Riche annotavit. Planta paucipollicaris (scilicet florens) usque sesquipedalis. Folia in verticillo 6–15, passim linearilanceolata et tunc margine paulo revoluta. Capsula rotunda, modice compressa, mox glabra, 2–3‴ metiens, utrinque sulco secus dissepimentum impressa. Semina in loculo solitarie maturantia, ovata vel interdum trigona, semper striguloso-pilosa, sed demum calvescentia, 1½–2‴ longa, perbreviter appendiculata. Testa crassiuscula. Embryo viridulus, si bene evolutus albuminis potius amygdalini quam cornei pæne dodrantem æquans, tenui-cylindricus, rectus; cotyledones saltem radiculam longitudine æquantes et eadem haud latiores; radicula hilo proxima. De iconibus vide Payer in Annal. des Sc. Nat. sér. trois. xv. t. 19 et 20; Payer Organog. t. 29 et 30; Maout et Decaisne Syst. of Bot. edit. J. Hook. p. 251; Baillon, Histoire des Plantes v. p. 67 et 68, ubi speciei nomen Pl. verticillata dabatur; Regel, Gartenflora viii. 263.

Tremandra stelligera me inveniebatur ad Porongerup, Shannon-, Warren- et Blackwood-River. Frutex altitudinem 6′ attingens.

Folia $\frac{3}{4}$–2″ longa. Pedicelli 2–7‴ longi. Sepala et petala passim 4; hæc interdum alba, sed plerumque violacea vel rosea. Capsula ovato- vel orbiculato-rhombea, ad summitatem acutata, ad basim obtusata, circiter 3‴ longa Arillus mox a raphe secedens, ætate parum vel haud contortus, qualis me observatus.

Tremandra diffusa præsertim in rupibus irriguis graniticis viget; tali modo ad Porongerup, Mount Burrabunnup 2000′, Gordon-, Shannon-, Preston- et Serpentine-River (F. v. M.), Blackwood-River (Hester). Statu diminuto paucipollicari nonnunquam jam floret. Folia vix unquam longitudinem pollicis attinentia, deltoideo-rhombea vel cordato- vel rhombeo-ovata, rarius in formam lanceolarem vergentia. Pedicelli pertenues, ætate non semper ultra folia elongati. Petala passim alba. Capsula fere rotunda, nisi paulo renata, $1\frac{1}{2}$–2‴ alta, haud acutata. Drumm. 193.

Euphorbiaceæ.

Bertya dimerostigma.

F. v. M. in Wing's Southern Science Record ii. 98 (1882).

Glabra, foliis perbrevibus sparsis linearibus acutiusculis margine ad costam planam latiusculam refractis, floribus axillaribus solitariis sessilibus, bracteis calyce fere triplo brevioribus latiuscule linearibus, calycum segmentis quinque pæne lanceolatis basi imbricatis fructum vix semiæquantibus, stylo fere nullo, *stigmatibus duobus v. tribus tantum bisectis*, fructu ovato acutiusculo glabro.

In eremo ad paludem Victoria-Spring; Giles.

Frutex ramosissimus, resinoso-viscidulus. Ramuli verruculosi. Folia pleraque 3–4‴ longa, tantum $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$‴ lata, innovando paulo fasciculata. Flores masculi ignoti. Segmenta calycum femineorum circiter sesquilineam longa, sensim in apicem acutata. Stigmata vix lineam longa. Fructus circiter 4‴ longitudine metiens.

Hanc stirpem specifice habeo distinctam a B. Cunninghami ramulis verrucosis haud angulosis, foliis brevioribus pallidius viridibus, pedicellorum absentia, stigmatum segmentis in toto paucioribus, nisi quoque forsan floribus masculis et seminibus.

Bertya oppositifolia.

F. v. M. et O'Shanesy in Southern Science Record ii. 98 (1882).

Altiuscula, *foliis oppositis oblongo- vel ovato-ellipticis* majusculis margine leniter recurvis supra cito glabratis subtus ramulisque cinereo-velutinis, floribus utriusque sexus solitariis sessilibus,

calycis segmentis quatuor fere ovatis pæne glabris bracteas quatuor persistentes fere ovales ter superantibus atque regulariter oppositis columnæ staminum æquilongis et pæne dimidium fructus æquantibus, stylis 3–4 inferne dilatatis profunde in stigmata 2–3 rariüsve 4 divisis, *germine* 4- *vel rarius* 3-*loculato*, fructibus ovato-globosis velutino-tomentosis 1–3-spermis.

Ad bases montium Expedition-Range, Thozet et Kilner; in collibus arenosis ad flumen Nogoa, P. O'Shanesy.

Frutex gracilis, usque 12′ altus. Indumentum e pilis stellaribus. Folia breviter petiolata, crassiuscula, longitudine 2″ attinentia et sæpe ultra pollicem longa, nervis subtus prominulis sat regulariter patentibus quasi costata. Calycum segmenta circiter 2‴ longa, mox revoluta; tubus fere lineam longus. Complexus staminum ambitu ovatus; antheræ sua latitudine paulo longiores. Stigmata circiter sesquilinearia. Capsula semimatura jam 4‴ metiens.

Species ab omnibus congeneribus facile foliis omnibus oppositis et germinis loculis usque 4 distincta; longitudine foliorum (quamvis latiorum) B. pedicellatam et B. Findlayi approximat, indumento floribusque B. oleæfoliam.

B. rosmarinifoliam illustrat Planchon in Hook. Lond. Journ. of Bot. iv. t. xvi. fig. 2–6; B. oleæfoliam autem t. xvi. fig. 1; ultimam quoque exhibet Baillon Étude des Euphorbiacées, pl. xviii. fig. 8–9.

B. rotundifolia, monente Professore Tate, tantum altitudinem sesquipedalem attinet; antheræ parum longiores quam latæ.

Phyllanthus Tatei.

F. v. M. in Wing's Southern Science Record ii. 55 (1882).
(Sect. Synostemon.)

Fruticulosus, ramulis breviter pubescentibus, *foliis parvis sparsis crassiusculis nitentibus ellipticis* vel ovatis vel passim rotundatis semper glabris, floribus minutis monoicis axillaribus solitariis perbreviter pedunculatis, sepalis sex flavidis glabris membraneis fere ovatis, interioribus exteriora breviter superantibus, staminibus tribus, filamentis brevissimis inferne liberis, *antheris connatis* longitudinaliter dehiscentibus massam depressam formantibus, *stigmatibus* 2–3 *simplicibus subulatis recurvis*, *germine in stylum brevissimum crassiusculum sensim attenuato* sæpe biloculato et tunc compresso.

In montibus Bundaleer-Ranges prope sinum orarium Spencer's Gulf; Prof. Tate. Prope promontorium Cape Jervis (Tepper).

Folia 1–2‴ longa, brevissime petiolata, non disticha, sæpe acutiuscula, subtus pallidius supra saturate virentia; nervus medianus parum prominens. Stipulæ perminutæ, setaceæ. Sepala

interiora vix lineam longa, florum masculorum intensius flavescentia, tenuis membranea et obtusiora. Loculi antherarum ovati, ampla rima hiantes; vertex connectivi universi depressus. Stigmata rigida, divergentia, stylo conspicue longiora. Germen ovatum, apice attenuatum, bi- vel tri-angulatum, glabrum. Fructus maturus ignotus.

Species habitu P. australi similis, ramulis haud glabris, foliis intensius nitentibus supra saturatius virentibus sæpe brevioribus et obtusioribus, petiolis distinctius formatis, stipulis non fere deltoideis, floribus haud dioicis sed forsan semper solitariis, pedicellis brevioribus, sepalis obtusioribus non rubris, stigmatibus haud bipartitis et capsula saltem juniore acutata facillime distinguenda. A ceteris speciebus e sectione Synostemonis jam stigmatibus differt.

P. australis reperiebatur prope flumen Derwent et promontorium Circular Head jam a cl. Gunn, nuperius prope Swansea a cl. Simson. Flores masculi interdum solitarii. Planta autem Cunninghami a fluvio Lachlan's River, quam Bentham dubitanter notabat, me nondum visa, fortasse ad P. Tatei pertinet. Phyllanthus rigens crescit ad flumen Bogan et prope urbem Aramac (Bailey); ramuli cum foliis brevissime scabro-puberuli; flores monoici.

Phyllanthus rhytispermus occurrit ad flumen Fortescue-River (J. Forrest).

Phyllanthus Gasstrœmii nascitur austrum versus usque ad Mt. Dromedary (Maria Bate).

Poranthera microphylla non raro folia opposita gerit; hanc plantulam usque Shark-Bay vidi.

Beyeria viscosa jam illustrabatur a Baillon, étud. t. 18 f. 13–17.

Tragia Novæ Hollandiæ me jam anno 1855 sub nomine T. urticifoliæ distributa, semper urens est.

. *Fontainea Pancheri*, Heckel Thése Inaugurale, Montpell. 1870; Baillon Adansonia xi. 80; Histoire des Plant. v. 194; Benth. in Proceed. of the Linn. Soc. 1878, p. 226; Benth. et Hook. Gen. iii. 301 oriebatur e Baloghia Pancheri. Omalanthus populifolius jam anno 1823 sub nomine Carumbii populifolii notabatur a Reinwardt (Elench. Sem. Hort. Bot. Leidens. 1823, Isis 319, anno 1823, fide Pfeiff. Nomencl. i. 610) sed non describebatur.

Dissiliaria tricornis eadem est ac Choriceras Australiana Baill. Adansonia xi. 119, fide Benth. et Hook. Gen. iii. 279.

Adriana tomentosa et A. quadripartita me definiebantur in Transact. Bot. Soc. of Edinburgh vii. (1863). A. quadripartita a promontorio Wilsoni usque ad Australiam occidentalem multis locis occurrit, semper autem ad litora maris.

Micrantheum hexandrum ad originem fluminis Macquarie-River obtinuit J. M. Curran.

Pseudanthus micranthus occurrit ad Encounter-Bay (Tepper).

Salsolaceæ.

Bassia Forrestiana.

Chenolea Forrestiana, F. M. coll. (Sect. Anisacantha.)

***Tomentoso-sericea*, foliis longiusculis turgidulo-linearibus apicem versus recurvatis et leniter dilatatis basi vix aut parum angustatis, stigmatibus duobus, *spinis calycis fructiferi 2 elongatis setaceo-subulatis et* 1–3 *valde abbreviatis* omnibus præter basim glabris, semine parum depresso fere ad basim calycis brevissimam extendente.**

Prope flumen Gascoyne-River ; J. Forrest.

Fruticulus robustus, patenti-ramosus. Folia si bene evoluta $\frac{3}{4}$–1″ longa, sed latitudine lineam paulo excedentia, inferne depressa, superne compressa, apice acutiuscula. Tubus calycis fructiferi circiter sesquilineam longus. Spinæ duo longiores 4–7‴ metientes.

Hinc B. quinquecuspidi, illinc B. bicorni cognata.

Inter stirpes a cl. Pollack ex eadem regione allatas exstat planta B. Forrestianae affinitate accedens, indumento autem tomentoso-velutino et spinulis multo brevioribus diversa ; si hæc demum specifice distinguenda, tunc nomen collectoris sumet.

Bassia tridens.

Chenolea tridens, F. M. coll.

Glabrescens, foliis breviusculis semitereti-linearibus in basim et apicem angustatis, stigmatibus duobus vel passim tribus, *spinis calycis fructiferi* 3 *æquilongis breviusculis dentiformibus planiusculis* horizontaliter divaricatis vel omnibus semi-lanceolatis vel tertia bifida, semine valde depresso a *basi calycis cava locelliformi* ampliuscula remoto.

In vicinia fluminis Gascoyne-River ; J. Forrest.

Fruticulus patenti-ramosus. Indumentum innovationum parcum, araneoso-lanuginosum, evanescens, vel passim ad axillas et in calycum summitatibus retentum. Pleraque foliorum longitudine inter 3 et 7‴ variantia, floralia gradate ad sesquilineam abbreviata. Tubus calycis fructiferi 1–1½‴ longus, infra fundum septiformem extendens, basi circulariter secedens ; appendices spiniformes vix 2‴ longæ, acutatæ, sed insigniter applanatæ.

Species separationem sectionalem sub appellatione Platyacantha bene meret, nisi cum antecedente in Anisacantha stabit.

Bassia astrocarpa.

Chenolea astrocarpa, F. M. coll. (Sect. Anisacantha.)

Sericeo-tomentosa, foliis breviusculis semitereti-linearibus vel superioribus in formam magis lanceolarem abbreviatis apice acutis

basi vix angustatis, stigmatibus duobus, ***spinis calycis fructiferi 5 tubo conspicue brevioribus parum inæqualibus*** inferne tomentoso-pubescentibus, tubo sua latitudine circiter duplo longiore basi perparum excavato, ***semine verticaliter sito.***

In vicinia sinus Nickol-Bay ; Crouch.

Fruticulus duriusculus. Folia sæpe inter 3 et 5‴ longa, juxta apicem ramulorum cum fructibus intersitis sæpe valde conferta. Tubus calycis fructiferi circiter 2‴ longus ; spinulæ fere stellariter divergentes, lineam haud excedentes vel breviores.

Bassiae Muelleri approximat, discrepans indumento laxiore, floribus confertis, præsertim autem calycibus fructigeris elongatis et forsan seminis situ ; fructum autem B. Muelleri maturum non habeo ; styli hujus plantæ sæpe 3.

Bassia carnosa (F. M. System. Census of Austral. pl. 30) nuperrime afferebatur e proximitate fluminis Gascoyne-River (J. Forrest et Pollack). Folia floralia rhombeo- vel lineari-lanceolata, 2–6‴ longa. Semen lineam metiens. Embryo normaliter hippocrepicus. Species sequenti proxima.

Bassia sclerolænoides (F. M. l. c. 30) crescit apud Fowler's Bay et Eucla (Richards).

Bassia lanicuspis mihi obvia erat a Lachlan-River ; porro legerunt hancce plantam Lattorf ad Spencer's Gulf, Kayser ad Eyre's Creek, Forrest ad Gascoyne-River ; varietatem glabrifoliam olim a Sturt's Creek attuli. Indumentum fructus album, fulvescens.

Bassia bicornis passim spinas fructuum tres producit ; novi hujus stirpis loci sunt : Nickol-Bay (Crouch), Bowen's Downs (Birch), Macquarie-River (Woolls), Lachlan-River (F. M.).

Bassia biflora nunc a Bowen-Downs et Lachlan-River nota ; fructus interdum quaternos et rarissime in glomerulo plures connatos reperi.

Bassia paradoxa exhibitur Icone Hookeriana 1076 ; plantam extendere innotuit ad Pedingam (Richards), Gascoyne-River (Pollack), Finke-River (Kempe).

Bassia divaricata a cl. Forrest ad Fortescue-, Sherlock- et Yule-River obtenta, a cl. Tietkens ad Youldeh, a cl. Hartmann ad Severn, a cl. Lattorf ad Spencer's Gulf.

Bassia echinopsila nascitur ad Maranoa (Scortechini), Lachlan-River (Tucker et Day), Victoria-Spring (Young).

Bassia enchylænoides crescit ad Maranoa (Scortechini), Yorke's Peninsula (Tepper).

Bassia salsulginosa me ipso ad Wimmera, Murrumbidgee et Lachlan-River legebatur.

Bassia generice stabiliebatur ab Allioni in Mélanges de Philosophie et de Mathématique pour les années 1762–1765, Turin, iii. 177, t. iv. f. 2 (1766) sub titulo : Stirpium aliquot descriptiones cum duorum novorum generum constitutione. Tali modo igitur

Bassia inter Salsolaceas apparebat ante Koenigii itineris in Tranquebariam inceptionem.—Bassiae inter Sapoteas synchrona est "Illippe" (Koenig in Linn. Mantiss. alter. 563, anno 1771), nomen quoque hodie sine scrupulo adhibendum.

Kochia melanocoma.

Erecta, foliis linearibus planiusculis vel semiteretiusculis in basim et apicem angustatis cum ramis præter axillas glabris, stigmatibus sæpe duobus, ***calycibus fructiferis valde depressis membrana latiuscula indivisa cinctis vertice comam setularum nigrescentum gerentibus*** aliunde præter orificium glabris, semine horizontali basim calycis brevissimam attingente.

In regione fluminis Gascoyne-River ; J. Forrest.

Frutex forsan humilis. Folia semipollicaria vel breviora. Calyces ore minute lobati, fructiferi ad latitudinem 4–5‴ expandentes. Antheræ ovales. Stigmata breviuscula, inter setulas comantes occulta. Setulæ læves, sesquilineares vel breviores, copiosæ, totum calycis verticem occupantes. Semen depressum, structura normale.

In numerosis fructibus semper fertilibus examini subjectis eandem organisationem insolitam reperi, quare setularum evolutionem credidi nec monstrosam neque abnormem.

Planta systematice in viciniam K. villosæ trahenda.

Kochia prosthecochæta.

Erecta, ***foliis elongatis*** semitereti-linearibus acutis basi vix attenuatis ramisque glabris, stigmatibus sæpe tribus, ***calycibus fructiferis membrana latiuscula indivisa vel leniter lacera cinctis ad orificium in appendices quinque setaceo-subulatas productis*** inferne turbinato-attenuatis undique glabris, semine depresso a basi calycis solida remotiusculo.

In plagis ad flumen Gascoyne-River, J. Forrest ; inter Yuin et Murchison-River, E. Giles.

Frutex forsan altiusculus. Rami robusti, ætate cicatricibus foliorum prominentibus quasi tuberculati. Folia inferiora fere ad sesquipollicem elongata, superiora interdum ad semipollicem abbreviata, latitudine 1½–2½‴ variantia. Calyces fructiferi nigrescenti-purpurascentes, ad latitudinem 4–5‴ expandentes ; lobi juxta orificium minuti, fere semiorbiculares, barbellati ; hisce alternæ appendices erectiusculæ, rigidulæ, circiter 2‴ longæ ; membrana horizontalis sæpe irregulariter denticulata, tandem imperfecte rupta.

Species ab ambabus aliis, quæ calyces ore appendiculatos ostendunt, nempe K. lobiflora et K. lanosa longe diversa, potius K. villosæ cognata, sed jam foliorum elongatione præter characterem cardinalem divellenda.

Kochia lobiflora nascitur ad Lachlan-River (Burkitt) et prope Pedinga (Richards). Calycis lobi magni, inflexi, scilicet supra alas horizontales siti.

Kochia lanosa occurrit inter Charlotte-Waters et Alice-Springs (Chr. Giles), ad Finke-River (Kempe) et Gascoyne-River (J. Forrest et Bunbury).

Kochia triptera nascitur ad Lachlan-River (Tucker) et Alice-Springs (Chr. Giles).

Kochia oppositifolia crescit in Yorke's Peninsula (Tepper) et prope Fowler's Bay (Richards). Ramuli sæpe oppositi.

Kochia brevifolia extendit saltem usque ad Finke-River (Kempe), Fowler's Bay (Richards), Lachlan-River (Tucker).

Kochia sedifolia notabatur prope Eucla (Oliver) et Hampton-Range (Dempster).

Kochia humillima provenit ad Avoca (Wallace), Yorke's Peninsula (Tepper).

Kochia planifolia afferebatur a Gascoyne-River (Pollack). Calyces fructiferi valde depressi.

Kochia ciliata recenter allata a Bowen-Downs (Birch).

Kochia microphylla reperiebatur ad Comet-River (O'Shanesy).

Kochia brachyptera nasciter ad rivum Namoi (Woolls). Cum specie sequente in Bassiam transit.

Kochia stelligera legebatur in vicinia fluminis Maranoa a Rev. B. Scortechini, atque ad Lachlan-River (Tucker).

Babbagia dipterocarpa crescit ad Finke-River (Kempe), Eyre's Creek (Kayser). J. Hooker, Icon. Plant. t. 1078.

Enchylæna tomentosa habitat ad Bulloo (R. Moore), Eyre's Creek (Kayser), Gilbert-River (Armit), Norman-River (Gulliver).

Rhagodia parabolica extendit ad Castlereagh-River (Woolls) et Armadilla (Barton). Antecendenti speciei admodum affinis. Nuperius hanc habemus a Broad-Sound (Bowman), Barcoo (Schneider), Gascoyne-River (Bunbury), Menilyalya prope Shark-Bay (J. Forrest).

Rhagodia nutans jam obtenta a Nagoa (Sclatter), Comet-River (O'Shanesy), Barcoo (Schneider), Alice-Springs (Flint), Finke-River (Kempe), Charlotte-Waters (Chr. Giles), Lake Eyre (E. Giles), Bulloo (R. Moore), Fowler's Bay, Fraser's Range (Dempster), Sturt's Creek (F. M.), Ord-River (Al. Forrest). Folia interdum omnia sparsa. Planta pabulum jucundum ovibus profert.

Rhagodia linifolia vergit usque ad Severn (Hartmann), Comet-River (O'Shanesy), Nagoa (Slatter), Bowen-Downs (Birch).

Rhagodia Preissii occurrit in Yorke's Peninsula (Salmon), inter Youldeh et Ouldabinna et prope Mount Churchman (Young), ad Victoria-Spring (E. Giles), juxta Lake Lefroy et Russell-Range (J. Forrest), Eucla (Richards), Mount Benjamin (Dempster), Lake Moore (Harper). Planta videtur dioica. Folia

passim rhombeo-lanceolata et dentigera. *Calyces glabri*, fere basi tenus lobati ; segmenta latiuscula, marginem versus conspicue membranea et evidenter imbricata. Antheræ loculi ovati, flavi. Stylus nullus. Stigmata 2 breviuscula. Fructus atrovirentes vel ætate paulo erubescentes, quantum video exsucci, conspicue depressi, linea vix latiores ; pericarpium tenuiter crustaceum. Planta haud dissimilis Chenopodio nitrariacea, et eidem generi adscribi possit.

Rhagodia Billardierii ad Richmond-River (Fawcett), Gascoyne-River (J. Forrest) et Nickol-Bay (Crouch) vergit. In exemplaribus pygmæis æstui expositis interdum pleraque foliorum vix $\frac{1}{4}''$ excedunt.

Rhagodia crassifolia passim spinescit. Legi hancce plantam ad Lake Alexandrina, Murray-River, Murrumbidgee, Darling-River et Hooker's Creek, atque obtinui eandem speciem a Nagoa (Slatter), Yorke's Peninsula (Salmon), Fowler's Bay (Richards), Hampton's Range, Eucla, Point Culver et Point Dover (J. Forrest). Notante Delisser hæc planta planities calcareas arboribus destitutas vasta copia secus sinum Great Bight occupat ; ipse etiam stirpem præcipue vidi in regione calcarea, quamquam passim in arenam mobilem transmigrat. Foliorum aliquot interdum opposita, nervo medio nunc subtus prominente, nunc evanescente. Fructus bene evoluti calyce conspicue latiores. Pericarpium succulentum, extus læte rubrum vel lilacinum. Nomen specificum vix idoneum. Species plane in sequentem transire videtur.

Rhagodia spinescens statu typico ad Shark-Bay extendit, ut ipse notabam ; provenit quoque ad Lake Lefroy (J. Forrest), Eyre's Creek (Kayser), Lake Eyre (Lewis), Bogan (Morton), Maranoa (Barton), Barcoo (Schneider), Fraser's Range (Dempster), Fowler's Bay et Eucla (Richards). Drumm. 248.

Rhagodia Gaudichaudi mihi nunc cognita a Pedinga (Richards), Lake Barlee (J. Forrest), Gascoyne-River (Bunbury et Pollack). Folia si parva iis R. spinescentis persimilia. De limitibus omnium congenerum specificis ulterius investigandum.

Chenopodium nitrariaceum nunc habeo a Wimmera (Dr.Curdie), Lachlan-River (F. M.), Spencer's Gulf (Lattorf), Shark-Bay (F. M.). Frutex altior, adspectu Rhagodiæ. Embryo hippocrepicus.

Chenopodium auricomum obtinui a Finke-River (Rev. H. Kempe) ; hanc speciem vidi per magnam Australiæ tropicæ partem interiorem, ubi sæpe "Blue Bush" vocatur. Ad pauca congenerum perennia pertinet.

Chenopodium microphyllum legi ad Avoca, Murrumbidgee et Lachlan-River, atque accepi e vicinia fluvii Darling-River (Day), e Yorke's Peninsula (Tepper), Fowler's Bay (Richards). Stamina vidi usque 4. Semen nigrum, nitens, fere læve. Species Ch. triandro affinis.

Chenopodium carinatum nunc nosco a Mount Eba (E. Giles), Eucla (Richards), Hampton-Range (H. St. Carey), Nickol-Bay (Crouch), Alice-Springs (Chr. Giles), Gascoyne-River (Pollack).

Chenopodium cristatum habemus a Murrumbidgee (Lucas), Lachlan-River (F. M.), Bulloo (R. Moore), Mount Eba (E. Giles), Fowler's Bay (Richards). Drumm. 165.

Chenopodium atriplicinum nuperius vidi in plagis prope Murrumbidgee et Lachlan-River, ubi satis frequens. Betam in mentem vocat. Includit Euxolum enervem.

Dysphania myriocephala legebatur ad Wimmera (Sullivan).

Dysphania littoralis crescit ad Comet-River (O'Shanesy), Mantuan Downs (Birch), Keppel Bay et Port Mackay (Dietrich). Folia ovata sesquilinearia in formam oblongo-linearem pollicarem extendunt. Semina nitida, in precedente opaca.

Dysphania Plantaginella altitudinem spithamæam attinet; Finke-River (Kempe), Alice-Springs (Chr. Giles), Nickol-Bay (Crouch), Sherlock- et Yule-River (J. Forrest), Ord-River (Alex. Forrest), Gascoyne-River (Pollack), Fowler's Bay.

Atriplex fissivalve reperiebatur inter Spencer's Gulf et Mount Eba (Giles). Exemplaria meliora mecum nunc communicata omnia e radice annua florent et fructificant, atque longitudinem spithamæam haud excedunt et glomerulos fructiferos ab ima basi caulis prope radicem producunt. Planta ob magnam salis copiam nunquam perfecte exsiccat. Fructus interdum fere 3‴ longi et lati.

Atriplex prostratum crescit in Yorke's Peninsula (Tepper), ubi certe perennat. Varietates hujus speciei æstimo A. microcarpum et A. Pumilionem. Nomen A. decumbens (Rœm. et Schult. Syst. Veg. vi. 289, anno 1820) bene adoptandum, ob priorem appellationem varietatis A. patuli, A. prostratum, De Cand. Fl. Franc. iii. 387, anno 1805 constituentis.

Atriplex paludosum habemus a Circular Head (F. M.), King's Island (Stanley), Yorke's Peninsula (Salmon), Fowler's Bay (J. Miller). Folia passim dentigera, sæpe discoloria. A. et E. Pries a Geographe-Bay miserunt varietatem evidentius monoicam, calycibus femineis minoribus lanceolato-rhombeis donatam.

Atriplex halimoides in plagis amplis depressis subsalinis cis et trans flumen Lachlan-River prævalere vidi; eandem speciem attulerunt Lattorf a Spencer's Gulf, Lewis a Lake Eyre, Dr. Poulton ab Aramac, Birch a Thomson-River, Dr. Wuth a Barcoo, F. H. Ham a Carpentaria, Pollack a Gascoyne-River, J. Forrest a Yule-River, Young ab Ularing.

Atriplex vesicarium mittebant Rev. Dr. Woolls a Castlereagh's River, J. Oliver ab Eucla; ipse eandem stirpem in vegetatione salsolacea cis et trans flumen Lachlan-River cum specie antecedente copiosissimam et pecoribus utilissimam notavi. Varietas ***appendiculosa*** (nisi species) ad Bulloo a R. S. Moore reperta,

appendicibus apicem calycis perbreviter valvatum et infra leniter tubulosam superans ; tali modo quasi transitus ad A. halimoides offertur.

Atriplex holocarpum obtinui e vicinia fluviorum Paroo (Morton), Charlotte-Waters (C. Giles) et Finke-River (Rev. H. Kempe), nec non e proximitate oasis Pedinga (Richards) et e planitiebus Bowen-Downs (Birch). Varietatem calyce fructifero ovato acuto compresso valde pellucente ad Eyre's Creek legit Kayser. Exceptionaliter specimina sesquipollicaria jam florere vidi. Semina pyriformi-ovata, verticalia.

Atriplex nummularium cis et trans flumen Lachlan-River per salineta dispersum reperi ; tunc extendit saltem usque ad Finke-River (Kempe) ; varietas monoica mihi nuper transmissa est a cl. Birch, qui hunc plantæ statum ad Bowen's Downs invenit.

Atriplex leptocarpum nunc nosco a Liverpool-Plains (Woolls), Lachlan-River (F. M.), Paroo (Morton), Lake Eyre (Lewis).

Atriplex crystallinum legi prope Portland-Bay, Warnambool et Port Fairy ; hæcce stirps porro ad King's Island extendit, ut demonstrabat cl. Spong.

Suæda maritima vergit ad Shark-Bay (F. M.).

Salsola Kali extendit ad Norman-River (Gulliver), Le Grange-Bay (Forrest), Nickol-Bay (Crouch), Gascoyne-River (Pollack), Shark-Bay (F. M.). Flores interdum strobilacco-confertissimi.

Salicornia robusta notabatur ad Gascoyne-River (Forrest).

Salicornia Arbuscula nascitur ad Shark-Bay (F.M.).

Salicornia cinerea crescit ad Trinity-Bay (W. Hill).

Salicornia australis includit S. quinquefloram Bunge et Ungern-Sternberg in Atti de Congresso Botan. Florenc. 1876.

Leguminosæ.

Labichea Buettneriana.

Erecta, foliolis 3–11 pinnate dispositis ovalibus vel oblongis obtusis v. retusis minute apiculatis supra reticulari-venosis et punctato-scabriusculis subtus ramulisque tenui-sericeis, racemis pluri-usque multifloris folia superantibus, calycibus perbreviter pedicellatis sericeis ante expansionem adscendenti-curvatis et sensim acutatis, bracteolis bracteam fere æquantibus quibuscum lanceolatis et calyce mox triplo brevioribus caducis, *sepalis petalisque quatuor, antherarum altera duplo longiore,* germine dense sericeo.

Ad flumen Endeavour-River ; Persieh.

Ramuli graciles, teretes. Petiolus brevissimus ; petioluli circiter lineam longi. Stipulæ fugaces. Foliola opposita vel sæpius paulo alterna, rigidula, $\frac{1}{2}$–1″ longa, planiuscula vel margine leniter recurvata. Racemi 2–5″ longi, breviter pedunculati.

Pedicelli sub anthesi vix sesquilineam longi. Sepala circiter 5‴ longa; exteriora lanceolato-cymbea; interiora falcato-lanceolata, membranea, margine intusque flava atque glabra, exterioribus primum pæne obtecta. Petala lutea, obovata, basi cuneata, haud unguiculata. Filamenta brevissima. Antheræ flavæ; altera lineari oblonga, circiter $1\frac{1}{2}$‴ metiens; altera duplo longius protracta et sursum tenuior; ambæ obtusæ. Stylus setaceus, glaber, sesquilinearis. Stigma minutissimum. Germinis indumentum album. Fructus ignotus.

Distinctio a L. cassioide facilis; foliola nempe distinctius petiolulata, aliquoties latiora, haud mucronata; pedicelli breviores; bracteæ et bracteolæ majores; calyces cum corollis tetrameri; sepala dense sericea. Obtusitate foliolorum ab omnibus congeribus recedit.

Labichea punctata flumen Blackwood-River attinet (Hester). Labichea ruprestris ad flumen Cape's River occurrit (Bowman). Legumen perbreviter stipitatum, circiter $\frac{3}{4}$″ longum, ellipsoideum, parum obliquum, acutum, dispermum. Semina fere globosa. Labichea lanceolata in Lemaire Jardin Fleuriste t. 162 depicturata est. Varietatem diversifoliam tantum e regionibus maxime occidentali-australibus nostri continentis habeo usque ad flumen Canningi et montem Bicei, dum varietas alta simplicifolia, quantum scio, regiones trans flumen cygnorum solummodo occupat.

Æschynomene Americana.

Linné Spec. Plant. 713 (1753); Lam. Ill. des Genres t. 629 f. 2; De Cand. Prodr. ii. 320; Bentham in Mart. Flor. Brasil, Legumin. Papil. 61; Grisebach, Flora of Brit. West Ind. 185; A. glandulosa, Poiret Encyclop. Méthodique Suppl. iv. 76; A. hirta, Lagasca Gen. et Spec. Pl. Nov. 22; A. hirsuta, De Cand. Prodr. ii. 322; A. divisa, Nees et Martius in Nov. Act. Acad. Cæs. Leop. Carol. xii. 31; A. floribunda, Martius et Galeotti in Bullet. de l'Acad. de Brux. x. 186; A. pudica, Zollinger in Regensb. Bot. Zeitung 1847, p. 696; A. Javanica, Miquel, Fl. Ind. Batav. i. 275.

Humilior, *ramis primum breviter et patentim pilosis* et parcius villosulis demum glabrescentibus mox teretibus, stipulis superne anguste lanceolatis infra insertionem in appendicem obliquam longiusculam productis diu persistentibus, foliis breviusculis, *foliolis parvis rigidulis falcato-lanceolatis inæquilateris mucronulatis trinerviis* fere dimidiatis basi unilateraliter rotundatis undique glabris, pedunculis brevibus pauciforis patentim et partim glanduloso-pilosis, bracteolis lanceolatis foliolaceis tri-usque quinque-nerviis ob denticulos piligeros ciliatis, *calycis parvi labio supero obtuso* integro, infero minute tridentato, corolla calycem parum vel ad duplum superante, petalo supero obovato-cuneato fere sessili, petalis lateralibus dimidiato-hastatis stipitulatis cum

supero sursum flavescentibus, petalis inferioribus obtusiusculis purpurascentibus, antheris ovato-rotundis, *stylo brevissimo*, legumine fere sessili 3–8- raro 2-articulato ad suturam superam leniter aut vix undulato ad inferam breviuscule crenato pilis sparsis basi incrassatis undique asperato.

Ad flumen Endeavour-River; Persieh.

Planta jam primo anno florigera, tunc apparens annua. Foliola eis Cassiæ mimosoidis haud absimilia.

A. Indica mihi nunc nota a Gascoyne-River (Jones), Gilbert- et Norman-River (Gulliver), Etheridge-River (Armit), Charlesville (Giles), Ballandool (Looker), Currewillughi (Dalton), Warrego et Maranoa (Barton), Suttor-River (Bowman), Bullah (Rob. Moore), Clarence-River (Beckler). Folia tactu sponte mobilioria, quam ea Neptuniæ gracilis, observante Bowman. Pedunculi passim uniflori.

A. falcata notabatur ad Walloon, Neercool et Bowen's River (Bowman), Ruined Castle-Creek (Leichhardt et Bunce), Port Denison (Fitzalan), Rockingham-Bay (Dallachy).

Salicarieæ.

Lagerstræmia Flos Reginæ.

Retzius Observat. Botan. v. 25 (1789); Kurz Forest-Flora of Brit. Burma i. 524; C. B. Clarke in J. Hook. Flor. of Brit. Ind. ii. 577; L. Reginæ, Roxburgh Plants of Coromandel i. 46, t. 65 (1795); Willd. Sp. pl. ii. 1178; Pers. Synops. ii. 71; Roxb. Hort. Bengal 38; Ait. Hort. Kew. sec. edit. iii. 302; Spreng. Syst. Veg. ii. 603; Blum. Bijdr. 1127; De Cand. Prodr. iii. 93; Roxb. Fl. Ind. ii. 505; G. Don, Gen. Syst. Dichlam. Pl. ii. 724; Spach Histoir. Nat. des Végetaux t. 36; Wight et Arn. Prodr. Fl. Penins. Ind. i. 303; Wight Icon. Plant. Ind. or. t. 413; Blume Mus. Bot. Lugd. Batav. ii. 126 t. xli.; Miq. Fl. Ind. Batav. i. 623; Thwait. Enum. Pl. Zeyl. 122; Beddome Fl. Sylvat. t. 29; Dalz. et Gibs. Bombay-Flora 98; Brand. Forest Flora of Ind. 240; Adambea glabra, Lam. Encycl. Meth. i. 39.

Arborea, ramulis teretiusculis, foliis magnis perbreviter petiolatis lanceolato- vel oblongo-ovatis glabris haud punctatis, paniculis terminalibus grandifloris, *calycibus indumento arcto pulveraceo fere ochraceis normaliter* 12*-sulcatis, petalis leniter crispatis in unguem lamina aliquoties breviorem angustatis*, staminibus numerosis omnibus corolla conspicue brevioribus, antherarum loculis connectivum orbiculare marginantibus eoque angustioribus, *germine glabro*, capsula 6-loculata fere globosa.

In silvis densis primævis ad flumen Endeavour-River; Persieh.

Arbor foliatione decidua, floribus ornatissima, jam veteribus Indiæ botanicis bene nota; de synonymia antiquiore vide Blume l. c.; de Lythracearum toto ordine E. Koehne in Engler's Bot. Jahrbücher i. et ii. (1880–1882).

Compositæ.

Emilia.

Cassini in Bullet. de la Soc. Philomat. 1817, p. 68.

Capitulum homogamum. ***Involucrum*** cylindricum vel fere campanulatum ***e bracteis uniserialibus inferne diu connatis formatum, basi bracteas nullas accessorias gerens.*** Receptaculum planum, nudum. Corollæ tubulosæ, longiuscule 5-dentatæ. Antheræ basi exappendiculatæ. ***Styli rami teretiusculi, conico- vel clavellato-terminati.*** Achenia longitudinaliter 5-angularia. Pappi setæ multiseriales, tenerrimæ.—Herbæ sæpe annuæ, in Africa intratropica, Mascarenia, Asia australi atque orientali usque ad Japoniam sicut in Australia boreali-orientali crescentes, foliis prælatis vel latiusculis varie lobatis et dentatis vel integris, radicalibus petiolatis, caulinis sparsis et sæpissime amplexantibus, pedunculis terminalibus elongatis singulis vel sæpius paucis, corollis purpureis aurantiacis vel rarius flavis.

E. purpurea, Cassini in Diction. des Sc. Nat. xxxiv. 393 (1825) ; E. sonchifolia, Cand. in Wight's Contrib. to the Bot. of Ind. 24 (1834) ; Prodr. vi. 302 (1837) c. synon. ; Clarke, Compos. Indic. 174 c. syn. ; Oliver et Hiern, Flora of Trop. Africa iii. 405 ; J. Hooker, Flor. of Brit. Ind. iii. 336 ; Cacalia sonchifolia L. Sp. Pl. 835 ; Commentat. Goetting. iii. t. 7 ; Kerner, Hort. Semperv. t. 130.

Glabriuscula vel scabro-pilosula, glaucescens, foliis herbaceis sæpe lobatis vel dentatis, lobo terminali foliorum radicalium maximo passimque unico, foliis caulinis e basi late biloba sursum fere lanceolatis sæpe irregulariter runcinatis passim fere integerrimis, ***capitulis sua latitudine aliquoties longioribus e bracteis circiter octo constantibus, corollis purpureis breviter exsertis,*** styli ramis breviusculis cono perminuto terminatis, acheniis parvis secus angulos papilloso-scabris.

Ad flumen Endeavour-River ; Persieh.

Ab E. flammea, quæ quoque in Australia forsan invenienda, jam involucro nec parum longiore quam lato neque e bracteis circiter 12 constante, tunc corollis nec longe exsertis neque insigniter aurantiacis specifice divellenda.

Podosperma Pollachii.

Podotheca Pollachii, F. M. coll.

Breviter glanduloso-pubescens, foliis inferioribus lanceolatis longe tenuiterque petiolatis, superioribus lanceolato- vel angusto-linearibus basi sæpe amplexante sessilibus, ***capitulis breviusculis mox hemisphæricis,*** bracteis involucrantibus tri- vel quadri-seriatis fere lanceolatis, extimis conspicue abbreviatis, intimis marginem

versus scariosis, corollæ lobis acutis tubo aliquoties brevioribus, *acheniis dense sericeis haud stipitatis pappo tantum duplo brevioribus*, setis pappi 12–20 breviter plumosis basi tenus liberis.

In vicinia fluminis Gascoyne-River; Forrest et Pollack.

Herba annua, sesquipedalis vel humilior, erecta. Caulis inferne simplex, superne in ramos mono- vel oligo-cephalos divisus. Folia satis tenera, plana, integerrima; inferiora præter petiolum usque 2″ longa et $\frac{2}{3}$″ lata; superiora sensim abbreviata et tenuius acuminata. Capitula $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ metientia, pedunculos variæ longitudinis terminantia. Bractearum involucrantum exteriores virentes, omnes breviter acuminatæ. Receptaculum planum, læviusculum. Flores involucrum vix superantes. Corollæ 3–4‴ longæ, luteæ; tubus pertenuis. Antherarum sæpe emergentum appendicula terminalis semilanceolata. Stigmatum apex pyramidali-incrassatus. Achenia vix sesquilineam longa. Pappus albus.

Species typicis (nempe P. angustifolio et P. gnaphaloidi) non rite congener, propter achenia receptaculo absque stipite insidentia, setas pappi numerosas haud in tubum nudum inferne diu connatas. Revera omnibus suis characteribus Heliptero convenit, excepto involucro foliaceo (potius Pterigerontis et Pleurocarpaeæ). Podosperma quam genus restituere justitiæ causa opto; nam Labilliardière de genere fere homonymo Candollei (nuper ad Scorzoneram iterum relegato) nullam mentionem fecit, dum independenter eodem tempore definitionem et iconem Podospermatis prelo submittebat.

Podosperma angustifolium habeo ex insula Kingii (Spong). Vide: Papers of the R. Soc. of Tasm. 1882.

Podosperma gnaphaloides ad Champion-Bay extendit (C. Gray). Gradus plumositatis pappi variat.

Podosperma chrysanthum inter species congeneres involucro haud imbricato singulare manet.

P. fuscescens, non obstantibus acheniorum stipitibus crassiusculis, sed ob involucrum eximie scariosum ad Helipterum facillime revocari possit.

Goodeniaceæ.

Velleya macroplectra.

Glanduloso-pubescens, foliis inferioribus lanceolato- vel rhombeo-cuneatis paucidentatis, superioribus lineari-lanceolatis integerrimis, ***racemo terminali foliato***, pedicellis flore suo longioribus folia floralia linearia æquantibus vel demum superantibus, sepalis quinque æqualibus lanceolatis integerrimis, ***corollæ tubo in calcar tenue elongatum producto***, lobis fere æqualibus anguste et obtuse alatis, stylo apicem versus brevissime barbato inferne glabro, ***indusii ore nudo***, capsula pubescente oligosperma, septo rudimentario, ***seminibus cum margine angusto nigrescentibus.***

Prope flumen Gascoyne-River ; J. Forrest.

Herba erecta, simplex, pauci- vel pluri-pollicaris, vel annua vel saltem jam primo anno florigera. Folia caulina pleraque inter $\frac{3}{4}$ et $1\frac{1}{2}''$, floralia inter $\frac{1}{3}$ et $\frac{2}{3}''$ longa. Pedicelli imi demum pollicares. Bracteolæ nullæ. Sepala circiter $2'''$ longa, distincta. Corolla expansa semipollice paulo amplior, extus præter margines loborum pallide flavidos puberula ; tubus supra germen breviter extensus et hinc integer, deorsum in tubulum subulatum glabrum circiter $\frac{1}{3}''$ longum forsan nectarifluum productus. Filamenta antheris oblongis parum longiora. Stylus tantum lineam longus. Capsula rotunda, calycem vix superans. Semina circiter quinque maturantia, ovato-orbiculata, lineam metientia.

Species singularis, evolutine calcaris inter congeneres tantum V. paradoxæ, inter omnesordinales præterea solummodo Goodeniæ calcaratæ conveniens.

Velleya paradoxa in regiones subalpinas adscendit.

Leschenaultia hirsuta me legebatur inter sinum Shark-Bay et flumen Murchison-River. Corolla punicea.

Leschenaultia longiloba mihi obvia erat ad fluvios Greenough- et Irwin-River, ubi color corollæ e carneo in coccineum variat.

Acanthaceæ.

Dicladanthera.

Calyx in segmenta quinque fere æqualia subulato-linearia partitus. *Corollæ lobi quinque conformes* breviusculi semielliptici ante expansionem imbricati, lobo antico exteriore, lobis posticis interioribus ; tubus longiusculus curvulus sensim modice ampliatus. *Stamina duo antica. Antherarum loculi connectivo diclado superposite disjuncti* parum inæquales ecalcarati ambo fertiles. Staminodia nulla. Stylus capillaris elongatus. Stigma minutum brevissime bilamellatum. Germen quadri-gemmulatum. *Capsula fere clavata normaliter tetrasperma.* Semina plana, retinaculis sustentata.

Herba Australiæ occidentalis subtropicæ, foliis satis parvis oblongis vel linearibus, *fasciculis florum ramulos pedunculiformes terminantibus involucro bractearum linearium liberarum cinctis.*

Genus in tribu Eujusticiarum locum tenebit ; ab Isoglossa propter tubum corollæ elongatum et minus graviter ob dispositionem florum separabile ; a Rhinacantho et Dianthera propter tubum corollæ sursum longe ampliatum recedens ; ab omnibus hisce tribus præsertim ob corollæ lobos (Eranthemi instar) isomorphos divellendum.

Dicladanthera Forrestii.

Prope flumen Menilyalya, partem septemtrionalem sinus orarii Shark-Bay versus ; J. Forrest. Herba nisi forsan suffrutex,

cujus tantum summitates allatæ. Rami brevissime appresso-pilosuli, glabrescentes. Folia caulina superiora uncialia vel breviora, mox glabrata. Flores in quovis fasciculo sæpe quatuor. Bracteæ involucrantes foliis floralibus parvulis longiores et acutiores, plures quidem sed haud numerosæ, $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}''$ longæ, rigidulæ. Bracteolæ bracteis similes, nisi minores, quibuscum persistentes. Calyces circiter $\frac{1}{3}''$ longi, basi tenus fissi, scabriusculi. Corolla circiter pollicaris, statu saltem sicco rosea, extus sparse et perbreviter pilosula, intus superne glabra; tubus lobis saturate punctatis duplo longior, inferne cylindricus, superne gradate ampliatus. Filamenta glabra, infra medium tubi inserta, e quo breviter emersa, longiuscule adnata. Ramulus connectivi alter descendens; loculi ambo fere securiformes, pallidi, antice bivalves, circiter $\frac{2}{3}'''$ longi. Stylus pollice paulo brevior, inferne breviter pubescens. Discus cupularis. Capsula $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}''$ longa, basi tenus dissiliens, extus scabrido-pilosula; pars inferior stipitiformis, septo contrarie compressa; pars superior subito dilatata, septum versus compressa, apice acutiuscula. Septum perbreve. Retinacula subulata, arcuato-curvata, adscendentia. Semina cordato-orbiculata, muriculato-scabra, fusco-nigra, fere sesquilineam metientia.

Thunbergia fragrans (J. G. Koenig in Roxb. Pl. of Coromand. i. 47 t. 67) vel species finitima profertur ad flumen Endeavour-River (Persieh). Folia ibidem ovato- vel oblongo-lanceolata, apicem versus sensim angustata, basi perbreviter bilobata, passim hastata (ut in stirpe typica forsan fragrantia). Calycis parce sericei dentes subulati, breves. Corolla alba; tubus semipollicem vix excedens, tenui-cylindricus, limbo æquilongus, ad insertionem staminum conspicue barbatus. Antheræ omnes imberbes et ecalcaratæ. Stigmatis lobi 2 semi-orbiculares. Fructus ignotus.—Utrum specifice distincta, an varietas sit, observationes ulteriores docebunt. De simili Thunbergia Powellii vide Wing's Southern Science Record ii. 34. Justicia procumbens ad Nickol-Bay extendit (J. Forrest).

Cyperaceæ.

Scirpus grossus.

Linné Fil. Suppl. Plantar. 104; Vahl Enumerat. ii. 270; Rœmer et Schultes Syst. Veg. ii. 141; Roxburgh Flora Indica i. 231 et edit. Careyi et Wallichii i. 237; Presl. in Reliq. Hænk. i. 195; Kunth. Enum. ii. 167; Steudel Synops. Plant. Glumac. ii. 87; Boeckeler in Linnæa xxxvii. 723; S. canaliculato-triqueter, Steudel l. c. 318 et S. æmulans, Steudel l. c. 62, fide Boeck.; Hymenochæte grossa, Nees in Edinburgh New Phil. Journ. 1834, p. 264, and in Wight's Contribut. to the Bot. of India, 110.

Altissimus, caulo acute triquetro basi foliato, foliis latis planis, radicalibus eorumdem valde elongatis, floralibus tribus quorum infimo prælongo, omnibus margine parum scabris, *umbella decom-*

posita, spiculis ovatis acutiusculis, bracteis flosculorum cymbeo-ovatis muticis integris glabris, staminibus tribus, antheris haud apiculatis, stylo basi non incrassato, stigmatibus tribus, caryopsi dodrantem longitudinis suæ bracteæ attinente antice plana dorso uniangulata, ***setis sepala constituentibus*** 5–6 ***tenuissimis retro-scabridis*** apice plerumque involutis caryopsi circiter æquilongis.

Ad flumen Daintree-River ; Pentzcke.

Scirpus maximus (Roxb. Fl. Ind. i. 237), ad quem auctor Sc. grossum Retz. Observ. v. 15 ducit, a vera planta hujus nominis absentia setularum calycificantum differe dicitur ; Sc. Kysoor setis calycis in modum earum Sc. litoralis villosulis specifice distare videtur, quantum e sola diagnosi patet.

Scirpus litoralis obtinebatur ad flumen Finke-River a Reverendo H. Kempe.

Scirpus supinus legebatur a cl. J. Forrest ad flumen Fortescue-River. Illustris Asa Gray (in Trim. Jour. of Bot. 1878, p. 346) notabat plantæ statum parvum e civitatibus Americæ borealis, cujus flores solitarie e petiolis vaginantibus emergunt et stylum proceriorem capillarem producunt.

Arthrostylis aphylla bene illustrata in J. Hook. Icon. 1345.

Heleocharis sphacelata tubera offert esculenta, fere globosa, Avellanæ magnitudine.

Cyperus Eragrostis crescit ad Tambo (Schlipalius), Grampians (French), You-Yangs (Fullagar).

Cyperus pulchellus altitudinem pedis attinet ad flumen Palmer-River (Wycliffe) ; nascitur quoque ad Port Darwin (Holtze).

Cyperus gracilis occurrit prope Mt. Macedon (Wooster).

Cyperus tenellus crescit ad flumen Blackwood-River (Hester).

Cyperus squarrosus, C. rotundus, C. polystachyus et C. difformis afferebantur equite J. Forrest e vicinitate sinus Nickol-Bay, ubi etiam legebantur Lipocarpha microcephala, Fuirena glomerata, Scirpus litoralis, S. maritimus, Cladium Mariscus, C. junceum. Vide F. v. M. Plants of North-Western Australia p. 12 (1881).

Cyperus Iria crescit inter flumina Lachlan- et Darling-River (Tucker).

Cyperus decompositus viget ad Port Darwin (Holtze).

Cyathochæte clandestina illustrata est in J. Hookeri Icones 1343.

Cyathochæte diandra extendit usque ad flumen Genoa (Reader).

Schœnus aphyllus nunc notus est e vicinia fluminum Darling- et Lachlan-River (K. Bennett et G. Day).

Schœnus ericetorum ad Burleigh Heads repertus est a Reverendo B. Scortechini ; eandem plantam jam anno 1855 in insula Moreton-Island reperi, ut tunc in diario notavi. Aliæ Cyperaceæ ibidem eodem tempore me notatæ erant : Scirpus nodosus, Sc. lacustris, Lipocarpha microcephala, Cladium teretifolium, Cl. psittacorum, Lepidosperma laterale.